



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Varia Cantica numeris soluta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A ἔδὲ ἑώραξε τὰς παρὰξίς
 αἷς ἐγὼ καταπρασσαμένω,
 ἀλλὰ τίπο παλιν οἶδα,
 ὡς ἔ μέγθος πλοισιμάτων,
 ἔχ' ἀμαρτημάτων πλήθος,
 οὐδὲ παρὰξέων ἀχρότητος,
 ἡδὲ παρὰξίς τῆ θεοῦ μου
 τῶν πολλῶν φιλανθρωπίας.

B Ἄλλ' ἐλέω συμπαιδείας
 τοῖς θερμῶς μετανοοῦντας,
 καὶ καθαίρει καὶ λαμοσύνας
 καὶ φθορὰς ποιεῖς μετόχους
 κοινοῦς θεότητος σου
 ἐργαζόμενος ἀφθόνως,
 καὶ τὸ ξένοι καὶ ἀγγελοῖς
 καὶ ἀνθρώπων διαφορίας
 ὁμοίεις αὐτοῖς πολλάκις,
 ὡσπερ φίλοις Θεοῦ γνηίοις.

C Ταῦτα τολμηρῶν ποιεῖ με
 ταῦτά με πειροὶ χειρὶ μου,
 καὶ παρὰξί σου αἷς πλάσματος
 ἡμεῖς ἡμᾶς εὐεργεσίας,
 χαίρων ἅμα τε καὶ τρέμων
 τῆ πυρὸς μεταλαμβάνω,
 χόρτος ὢν, καὶ ξένοι ταύμα,
 νῦν δροσοῦδμος ἀκαύτως
 ὡσπερ καὶ ἡ βάτος πάλαι
 ἢ ἀφλέκτως χειροῦν.

Τοῖνυ * εὐχαίρειν γνώμην
 εὐχαίρειν δὲ καρδίαν,
 εὐχαίρειν μέλεσσι μου,

D καὶ τῆς ψυχῆς καὶ σαρκὸς μου,
 προσκυῶ καὶ μεγαλείῳ
 καὶ δοξάζω σε θεέ μου,
 ὡς εὐλογημένον ὄντα
 νῦν τε καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Nec perpetravit Inquam
 Hac qua miser patravi.
 Sed non item fugit me,
 Peccata quod nec ulla
 Tot sunt, nec ulla tanta,
 Fæda nec actiones,
 Quas lenitas Monarchæ
 Delere non potis sit.
 Verum misertus horum,
 Peccasse qui dolent se,
 Purgas eos, facisque
 Ut luce perfruantur,
 Diminitatis ipse
 Tuæque compotes sint.
 Mortalibus quod estque,
 Quod Angelisque mirum,
 Charos velut sodales
 Affaris hos frequenter.
 Audaciam mihi dant
 Hac, Christe; spemque latam:
 Fiduciamque sumens
 Ex lenitate tanta
 Meritisque, tum tremem, tum
 Assumo lætus ignem,
 Fœnum licet, licet sim
 Stipulæque, quodque mirum,
 Velut rubo, mihi sic
 Est flamma voris instar.
 Grata proinde mente,
 Gratoque corde rursus,
 Membrisque mentis, atque
 Carnis, potens adoro
 Numen tuum, Monarcha;
 Et laudo: Nam tibi laus
 Debetur, ô Deus mi;
 In secla sempiterna.

Exod. 3.

* εὐχαίρειν
 εἰς τὴν
 γνώμην.

SCHOLIA IN PRAECEDENTEM ORAT.

E 1. Tui Deus quid in me) In Græco hoc loco pro μὴ non est dubium quin μὴ reponendum sit. Alludit enim ad illud Psal. 138. Imperfectum meum viderunt oculi mei. Septuaginta autem ἀνετέραςσιν habent. Quam vocem interpretes variis modis exponunt. Hic certe simpliciter pro τὸ ἀτελές eam accipit Damascenus. 2. Assumo lætus ignem.) Hic est Christum in Eucharistia; qui Deus verus est; ac proinde ignis consumens, ut habetur Deut. 4. & Heb. 12.

Eiusdem Damasceni de Dominica Paschæ.

RESURRECTIONIS dies: splendescamus, ô populi.
 Pascha Domini, Pascha. Nam ex morte ad vitam, & è terra in
 cœlum Christus Deus nos traduxit, triumphum canentes.
 Sensus nostri purgantur: ac Christum incomparabili resurrectionis
 luce fulgentem cernemus: atque Aucte dicentem apertè audiemus trium-
 phum canentes.

Y Y

D. IOANN. DAMASCENI

Coeli, vt par est, letentur, & exultet terra. Festum diem agat mundus vniuersus, P
ta visibilis quā inuisibilis. Christus enim, qui sempiterna letitia est, ad vitā rediit.

Agite, poculum nouum bibamus, non ex sterili petra miro ac prodigioso
modo effectum: sed Christo in quo firmamur, immortalitatis fontem ex sepul-
cro profundente comparatum.

Heri, ô Christe, tecum inhumabar: hodie te ad vitam redeunte simul resurgō.
Heri in crucem ferebar: tu me, ô Saluator, in regno tuo tecum gloria affice.

Super diuinam custodiam nobiscum Theologus Habacu itet, ac splendidum
angelum ostendat, alta voce dicentem, Hodie salus mundo, quoniam surrexit
Christus vt omnipotens.

Masculus quidem, vt qui virgineum vterum aperuerit, Christus exiit. Vt G
mortalis autem, agnus appellatus est. Immaculatus porrò, vt labis expers, Pascha
nostrum, denique vt Deus verus, perfectus dictus est.

Vt anniculus agnus, Christus, corona à nobis benedicta, vtrò ac sponte pro
omnibus immolatus est, Pascha expiatorium. Ac rursus è sepulcro pulcher iu-
stitiae Sol nobis micuit.

Dei parens Dauid ante vmbrosam arcam saltitauit: nos autem sancta Dei
plebs, signorum euentum cernentes, diuinè lætemur, quoniam Christus omni-
potens resurrexit.

Summo diluculo surgamus, atque vnguenti loco hymnum Domino offera-
mus: ac Christum iustitiae Solem cernemus, vitam omnibus oriri facientem. H

Cum immensam tuam misericordiam ij, qui inferni catenis vincti tenebantur,
conspexissent, læto pede, ô Christe, ad lucem accurrebant, æternum Pascha plau-
su celebrantes. Ad Christum, tanquam sponsum, ex monumento prodeuntem
cum lampadibus accedamus: atque cum festi agendi studiosis ordinibus festum
agamus, æternum Pascha plausu celebrantes.

Qui pueros ex fornace liberauit, homo factus vt mortalis patitur: ac per pas-
sionem id quod morti obnoxium erat, incorruptionis elegantia conuexit solus
ille benedictus Patrum nostrorum Deus, ac summa gloria præditus Deus.

Mulieres piæ cum vnguentis post te cucurrerunt: quem autem vt mortalem
cum lacrimis quærebāt, eundem viuentem Deum lætis animis adorarunt, ac I
mystici Paschatis nuncium Christi Discipulis attulerunt.

Mortis extinctionem celebremus, inferni euerfionem, sempiternæ alterius vi-
tæ primitias: atque subsultantes authorem laudemus, benedictum inquam ac
summa gloria præditum Patrum nostrorum Deum.

Quam verè sacra & omni lætitia celebranda hæc salutaris ac lucida nox, splē-
didi resurrectionis diei prænuncia: in qua lux temporis expers è sepulcro cunctis
modo corporeo effulfit.

Hæc dies vocata sancta, hæc vna sabbatorum, regina & domina, festorum fe-
stum, & celebritatum celebritas: in qua Christum in secula laudamus.

A deste dum, nouum vitis fructum, diuinam lætitiā in insigni Resurrectio-
nis die, Christi regnum percipiamus, eum vt Deum in æuum laudantes. K

Leua in orbem oculos tuos, ô Sion, & vide: Ecce enim ab occasu & aquilone
& mari ad te tanquam luminaria venerunt diuino splendore collustrati homi-
nes, Christum in te benedicentes in æuum.

Pater omnipotens & Verbum & Spiritus, vna in tribus personis natura essen-
tiam ac diuinitatem excedens: in te baptizati sumus, & te benedicimus in secula.

Illuminare, illumina noua Hierusalem. Gloria enim Domini super te orta
est. Tripudia nunc & exulta Sion. Tu autem casta Dei genitrix oblectare in par-
tus tui resurrectione.

O diuinam, ô amicam, ô suauissimā tuam vocem! Verè id pollicitus es, ô Chri-
ste, te vsque ad seculi finem nobiscum fore. Quam quidem nos, qui fide præditi
sumus, spei anchoram tenentes, exultamus.

O magnum

A O magnum & facerrimum Pascha, Christe, sapientia & Verbum & virtus Dei, velim hoc nobis des, vt in regni tui die vespera carenti expressius te percipiamus.

De Ascensu Domini nostri Iesu Christi.



ALVATORI Deo qui populum in mari ficcis pedibus duxit, & Pharaonem cum vniuerso exercitu demersit, ipsi soli canamus, quoniam glorificatus est.

Christi qui super Cherubinorum humeros cum gloria ascendit, ac nos in Paterna dextera confedere fecit, triumphale carmen canamus, quoniam glorificatus est.

B

Christum Dei & hominum mediatorem, angelorum chori cum carne in caelis conspicantes, stupore corripiebantur, atque cōcordi voce triumphalem hymnum modulabantur, quoniam glorificatus est.

Per crucis tuæ vim, Christe, animum meum confirma, vt salutarem tuum ascensum laudem ac celebrem.

Angelorum ordines, ô Christe, humanam naturam vnà tecum ascendentem conspicientes, summa admiratione percussi, sine vlla intermissione laudes tuas celebrant.

Audiui Domine vocem potentiae crucis tuæ, nempe quod per eam paradysus apertus sit: & exclamaui, Gloria potentiae tuæ Domine.

C

Ascendisti in gloria, ô angelorum rex. Paracletum nobis à Patre mitte, vt exclamemus, Gloria potentiae tuæ Domine.

Posteaquàm Saluator cum carne ad Patrem ascendit, angelorum exercitus ipsius admiratione percussi sunt: & exclamarunt, Gloria potentiae tuæ Domine.

Supernae virtutes superioribus clamabant, Attollite portas Christo nostro regi, quem vnà cum Patre & Spiritu laudibus celebramus.

Diluculo ad te clamamus, Domine salutem nobis affer. Tu enim Deus noster es, nec præter te alium nouimus.

Lætitia perfulsis omnibus rebus, ô misericors, ad supernas virtutes cum carne profectus es.

D

Angelorum virtutes te, cum attollereris, cernentes clamabant, Portas regi nostro attollite.

Abyssus me circumdedit, cetus mihi sepulcri instar fuit. Ego autem ad te noluminum amantem clamaui, & saluum me fecit dextera tua Domine.

Saltabant Apostoli sublimem elatum hodierno die Creatorem conspicientes: spe Spiritus & timore clamabant, Gloria tuæ ascensioni.

Asiterunt, ô Christe, angeli Discipulis tuis clamantes, Quemadmodum Christum ascendentem vidistis, ita iustus omnium iudex in carne veniet.

Posteaquàm te, ô Saluator noster, supernae virtutes cum corpore in caelum elatum conspexerunt, cum timore exclamarunt, Magna, ô here, benignitas tua est.

Qui in fornace ignis catores pueros seruauit, benedictus Deus patrū nostrorū.

Vagam naturam humeris tuis sublatam, ô Christe, in caelum ascendens, Deo ac Patri obtulisti.

Qui in lucida nube ascendit, ac mundo salutem attulit, benedictus Deus patrum nostrorum.

Qui à terra ad Patrem corporis expertem ascendit, benedictus Deus patrum nostrorum.

Eum qui ex Patre ante secula genitus est, Filium ac Deum, atque in extremis temporibus carnem ex virgine matre suscepit, sacerdotes laudate, plebs superexaltate in secula.

Christum vitæ datorem, qui in duabus naturis cum gloria in caelum auolauit,

& cum Patre sedet, sacerdotes laudate, plebs superexaltate in secula.

Eum qui ab idolorum seruitute humanam naturam, eamque suo Patri liberam exhibuit, sacerdotes laudate, plebs superexaltate in secula.

Eum qui per descensum suum hostem deleuit, ac per suum ascensum hominem in altum euexit, sacerdotes laudate, plebs superexaltate in secula.

Te omni cogitatione ac sermone praestantiorem Dei matrem, quae modo omnem orationis facultatem superante, eum qui temporis expertus est, in tempore peperisti, nos qui fide praediti sumus, consentientibus animis celebramus.

Te qui usque ad extremum terrae descendisti, hominique salutem attulisti, ac per tuum ascensum eundem in altum extulisti, celebramus.

Aue Dei genitrix, mater Christi Dei. Quem enim peperisti, hodie è terra in altum euolantem cum angelis cernens, ingentibus laudibus affecisti.

DE TRANSFIGURATIONE DOMINI NOSTRI Iesu Christi Carmen, cuius primae versuum literae haec verba complectuntur, Μωσῆς θεὸς ὡραῖον ἐν Θαβὼρ ἴδε. i. Moses Dei faciem in Thabor vidit.

M

oses olim in mari, in sube atque ignis columna gloriam Domini propheticis oculis conspicatus, exclamabat, Redemptori ac Deo nostro canamus.

Vt petra, deificato corpore protectus Moses eum qui cerni non potest intuens, exclamabat, Redemptori ac Deo nostro canamus.

Tu in monte legali & in Thaboreo olim Mosi in caligine spectandum te praebuisti: nunc autem in accessu diuinitatis luce.

Gloria ea, quae prius in tabernaculo obumbrabat, ac cum Mose famulo tuo verfabatur, typus fuit, o Domine, transfigurationis tuae, quae modo, qui dici non potest, in Thabor fulsit.

Tecum, o vnigenitum & summum Verbum, summi Apostoli in montem Thabor ascenderunt: tibi que etiam Moses & Elias, ut Dei serui, o sole benigne, astiterunt.

Totus Deus existens, totus Deus factus es, toti nimirum diuinitati coniuncta humanitate in vna tua persona, quam in duabus naturis Moses & Elias in Thabor viderunt.

Ex carne tua diuinitatis radij ad Prophetas & Apostolos manabant. Eoque nomine eximij viri cantantes exclamabant, Gloria potentiae tuae Domine.

Qui rubum igni admotum illa summa seruasti, carnem tuam diuinitatis lucentem Mosi ostendisti, canenti, Gloria tibi Domine.

Sol hic in sensum cadens diuinitatis tuae radio occultatus est, simulatque te, mi Iesu, in Thaboreo monte conspexit. Gloria potentiae tuae Domine.

Ignis à materia alienus, corporis materiam exurens conspectus est. Sic tu Mosi & Apostolis & Eliae visus es, o here, vnus ex duabus & in duabus perfectis naturis.

Nulla linguae facundia magnalia tua eloqui potest. Vt enim vitae imperans ac mortis dominans, Mosem & Eliam diuinitatem tuam testantes in monte Thabor exhibuisti.

Christe, qui hominem inuisibilibus manibus ad imaginem tuam effinxeras, pulchritudinis tuae exemplar in tuo figmento demonstrasti: non ut in imagine, sed ut qui per essentiam Deus & homo extiteris.

Sine confusione commixtus, diuinitatis carbonem nobis ostendisti, peccatis quidem exurentem, animis autem lucem afferentem. Quo quidem nomine Moses & Elias atque Discipulorum, antesignani in monte Thabor extra se rapti sunt.

Quam

A Quàm magnum ac tremendum hodierno die spectaculum contigit. E caelo sensui subiectus, è terra autem incomparabilis iustitiæ Sol in monte Thabor effulsit.

• Debilitata Legis umbra præterit: Christus autem, hoc est veritas, perspicue venit. Moses diuinitate tua in monte conspecta, exclamauit.

• Columna Mofi Christum sese transfigurantem, ac nubes Spiritus gratiam, que in Thaboreo monte obumbravit, apertissime significabant.

Nunc res nunquam visæ ab Apostolis conspectæ sunt, diuinitas nimirum in carne in Thaboreo monte affulgens clamantibus, Benedictus es Domine Deus in secula.

B Præ pulchritudinis diuini regni admiratione Apostoli in monte Thabor metu coheruerunt, exclamantes, Benedictus es Domine Deus in secula.

Nunc nunquam antehac audita res, audita sunt. Nam qui sine Patre ex Virgine natus est, paterna voce illustri testimonio prædicunt, velut Deus idem & homo in secula.

Non adoptione & gratia Altissimi filius effectus es. Verum cum naturâ charus filius esses, sine vlla mutatione nobiscum versatus es, Benedictus es Domine Deus in secula.

Discipuli tui, Domine, cum exhibitum tibi à Patre testimonium audiissent, ac faciei tuæ fulgetram vt humano aspectu firmiorem cernere minimè possent, in terram corruerunt, cum metu canentes, Pueri benedicite, sacerdotes laudate, plebeij superexaltate in omnia secula.

C Eorum qui regno potiuntur, pulcherrimus rex es, & eorum qui vbiq; dominantur, Dominus, ac princeps beatus, ac lucem habitans inaccessibilem. Cui Discipuli, admiratione percussi, clamabant, Pueri benedicite, sacerdotes laudate, plebeij superexaltate in omnia secula.

Tibi, ô Christe, vt caelo dominantis, & terræ regno potienti, & subterraneorum principatum obtinenti, è terra quidem Apostoli astiterunt, è caelo autem Thefbites Elias, è mortuorum autem numero Moses, indefinenter canentes, Pueri benedicite, sacerdotes laudate, laici superexaltate in secula.

D Ignauia parentes curæ, ô benigne, per Apostolorum electionem in terra relictæ sunt, simulatque te ad sublimem ac diuinam viuendi rationem secuti sunt. Vnde etiam, vt consentaneum erat, diuini tui conspectus participes effecti canebant, Pueri benedicite, sacerdotes laudate, laici superexaltate in secula.

Vt arcanum tuum secundum descensum apertè ostendas, nimirum quonam pacto summus Deus, in medio Deorum stans, ab Apostolis videbitur, Mofi & Elia modo sermonem omnem superante in Thabor fulsisti. Quocirca omnes te Christe, in gentibus laudibus afficimus.

Adeste dum, ô populi, in montem sanctum ac supercœlestem conscendentes, spiritualiter in Dei viuentis ciuitate stemus, atque materiæ expertem Patris ac Spiritus diuinitatem in vnigenito Filio rutilantem mente conspiciamus.

E Desiderio me demulsisti, ô Christe, ac diuino tuo amore commutasti. Verum peccata mea igni à materia remoto exure, ac deliciis in te fitis me implere dignare: vt duos tuos aduentus, ô bone, lætitia exultans prædicem.

In sanctissimæ Dei genitricis Annunciationem.



VDI puella, virgo sancta. Dicat iam Gabriel consilium Altissimi antiquum, verum. Ad Dei susceptionem te compara. Per te enim is, qui capi non potest, cum mortalibus consuetudinem habet. Eoque etiam nomine clamo, Laudate omnia opera Domini Domino.

Omnis hominum cogitatio superatur, Virgo respondit, Dum ea ab hominum sensibus & opinione remota, quæ tu ad me loqueris, exquiro, voluptatē ex verbis tuis cepi. Verum illud admiratione perculsa timeo, ne me, ut Euam, per fraudem à Deo procul ableges. Sed tamen iam clamo, Benedicite omnia opera Domini Domino.

Iam tibi, ait ad hæc Gabriel, id quod dubium erat, solutum est. Rectè enim ab te dictum est rem hanc eiusmodi esse, ut nulla coniectura informari possit. Deinceps sermonum meorum labiis parens, ne tanquam figmento addubites, sed ut rei veræ fidem adhibeas. Ego enim latus exclamo, Benedicite omnia opera Domini Domino.

Hic rursus illa reprehensionis expers ait: Lex hæc diuinitus mortalibus constituta est, ut ex communi amore partus progrediatur. Atqui conjugalem voluptatem nescio. Quoniam itaque modo parituram me esse ais? Metuo ne versuto animo hæc loquaris. Sed tamen iam exclamo, Benedicite omnia opera Domini Domino.

Ea quæ ad me loqueris (exclamat rursus angelus) de more quidem contingunt in mortalium hominum procreatione. At ego verum Deum supra omnem sermonem & cogitationem, quemadmodum ipse nouit, ex te carnem suscipientem tibi annuncio. Vnde etiam latus exclamo, Benedicite omnia opera Domini Domino.

Verba mihi (dicere perfixit Virgo) proloqui videris. Communis enim lætitiæ nuncium attulisti. Quoniam igitur anima mea per Spiritum sanctum purificata est, fiat mihi secundum verbum tuum. Deus in me habitet: ad quem clamo, Benedicite omnia opera Domini Domino.

Tanquam viam Dei arcam prophanorum manus fraudquaquam tangant. At verò piorum labia Dei genitrici angeli vocem sine vlla intermissione modulantes cum exultatione clament, Ave gratia plena, Dominus tecum.

Supra cogitationem concepto Deo, naturæ leges ô puella ignorasti. Nam tu in pariendo ea, quibus obnoxia sunt matres, effugisti, tamen si alioqui fluxa natura prædita esses. Vnde optimo iure audis, Ave gratia plena, Dominus tecum.

Quoniam modo lac profundas, ô casta virgo, mortalis lingua eloqui non potest. Noua enim nature res ostenditur, consueti partus terminos excedens. Vnde optimo iure audis, Ave gratia plena, Dominus tecum.

Admirandum diuinarum rerum interpreti Mosis rubus & ignis prodigium indicarunt. Finem autem in temporis transitum quærens, in puella casta hoc perspectum ei dixit: cui tanquam Dei genitrici dicatur, Ave gratia plena, Dominus tecum.

Daniel te spiritualementem vocat, Dei genitricem Esaias. Gedeon ut velus cernit. Dauid sanctificationem dicit. Portam te alius. Gabriel autem clamat, Ave gratia plena, Dominus tecum.

Ad Dominum.

Quam horribile iudicium tuum, Domine, angelis assistentibus, hominibus inductis, libris apertis, operibus inquisitis, rationibus respondentibus? quale iudicium exit in me concepto in peccatis? quis meam flammam extinguet, nisi tu, Domine, misereare mei ut humanus?

Ad Deiparam.

Inuituperabilem Deipara spem tuam habens seruabor, defensionem tuam possidens, per quam, ô pura, non timebo: persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens ut thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum: & deprecor clamans tibi: Domina, salua me intercessionibus tuis, & eleua me è tenebroso somno ad tuam glorificationem potentia ex te incarnati Dei.

Ad

A

Ad eandem.

Gloriosa, semper virgo, mater Christi Dei, adduc nostram deprecationem filio tuo & Deo, vt saluet per te animas nostras.

Ad Dominum.

Miserere nostri Domine, miserere nostri: omnis enim defensionis in opes, hãc tibi precationem vt Domino peccatores afferimus: Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Ad eundem.

Domine, miserere nostri: in te enim confidimus. Ne irascaris nobis valdè, neque memineris delicta nostra, sed aspice & nunc misericors, & libera nos ab inimicis nostris. Tu enim es Deus noster, & nos populus tuus: omnes opera manuum tuarum, & nos nomen tuum inuocauimus.

B

Ad Deiparam.

Misericordiã ianuam aperi nobis benedicta Deipara: sperantes igitur in te, ne aberremus: liberemur per te à calamitatibus: tu enim es salus generis hominum.

Ad eandem.

Agnosces multitudines meorum Deipara peccatorum, ad te confugi, ô sancta, salutis indigens: visita ægotantem meam animam, & pete à filio tuo & Deo modò dari mihi remissionem eorum, quæ feci, malorum, sola sancta, sola benedicta.

Ad eandem.

Omni spem meam in te repono mater luminis: serua me sub protectionem tuam.

C

Ad Archangelum.

Cœlestium exercituum princeps exercitus, precamur te nunc indigni, vt tuis precibus munias nos regimine alarum tuarum, sempiterna tua gloria custodiens nos procidentes, & fideliter clamantes, à periculis libera nos, sicut ordinis princeps superiorum potestatum.

In inuentione capitis Præcursoris, ad Baptistam.

Sicut diuinum depositum occultum terræ Christus detexit caput tuum nobis, ô propheta & præcursor: omnes igitur simul profecti, in huius inuentione cantibus deo loquis saluatorem laudamus, saluantem nostras animas supplicationibus tuis.

D

ECCLESIASTICA GRÆCORVM CANTICA,

Quæ Ουαδ̄ η̄χοι, vel Ιουλιαν̄ος, hoc est Octosoni inscribuntur, autoribus

D. Ioan. Damasceno, Metrophane Smyrneo, &
alijs Ecclesiæ Orientalis Doctoribus.

Petro Morelio Turonensi interprete.

Ex Bibliotheca C. V. D. Ioan. à S. Andrea.

E

SONVS PRIMVS.

SABBATO AD VESPERAS.

Ps. 140. es̄ ἀραχτίονα.

Τὰς ἑσπερινὰς ἠμῶν εὐχὰς.

Vespertinas preces nostras

O Domine Deus suscipe,

Et concede nobis

Peccatorum veniam.

Nam solus demonstrasti
Mundo resurrectionem.

Lustrate, populi, Sion,

Atque illam circumdate,

Dantes in ea gloriam

Resurgenti à mortuis.

Quoniam is ipse Deus est noster,

Qui ab iniquitatibus

Y Y iij